ALOYSII COLLA ILLUSTRATIONES ET ICONES RARIORUM STIRPIUM QUÆ IN EJUS HORTO RIPULIS...

Luigi Colla

ALOYSII COLLA

ILLUSTRATIONES ET ICONES RARIORUM STIRPIUM
QUÆ IN EJUS HORTO RIPULIS FLOREBANT, ANNO 1824,
ADDITA AD *HORTUM RIPULENSEM*
APPENDICE I.

ALOYSII COLLA

ILLUSTRATIONES ET ICONES RARIORUM STIRPIUM QUÆ IN EJUS HORTO RIPULIS FLOREBANT, ANNO 1824, ADDITA AD *HORTUM RIPULENSEM* APPENDICE I.

Lectae die V decembris 1824.

CLARISSIMI VIRI.

Quum *Hortum Ripulensem* typis edidi, eidem appendices quot annis addere fuit in votis.

Nonnullae stirpes illuc enumeratae, vel per partes aliquas descriptae, postmodum floruere, ac fructus interdum perfecerunt, propterea que accuratiore indigent illustratione.

Aliae demum, quas non habebam, in hortum introductae fuerunt anno labente.

Inter has extant plures admodum dubiae, quas idcirco nunc enumerare dumtaxat fas est, additis notis ubi opportunum.

Hinc duplices emergunt sectiones: scilicet, commentarium academico more comprehendens illustrationes et icones plantarum rariorum, quas hoc anno determinare mihi datum fuit.

Altera appendicem primam ad *H. Ripulensem* complectitur, in qua eandem numerorum seriem sequar.

Benigno animo accipite, praestantissimi viri, opuscula haec nostra.

SECTIO I.ª

Commentarium

Comprehendens Illustrationes et icones plantarum rariorum, quae floruerunt in H. Ripulense *anno* 1824.

I.

Leptospermum flexuosum

In *Horto Ripulensi* (p. 53) enumeravi *Eucalyptum salignum* a Cl. Smithio descriptum (act. soc. Lond. 3 p. 285), et a W. relatum (sp. pl. II. 977): sed quum parcissime flores, nullosque fructus hic tum gessisset, ad illam stirpem plantam meam pertinere putavi, dum sub eo nomine in omnibus fere hortis cultam inveneram. Elapsa aestate luxuriosissime floruit, ac numerosissimos fructus perfectissimosque ab ea decerpere fas fuit: hanc vero illam non ad *Eucalypti* sed ad *Leptospermi* genus esse referendam, et toto caelo differre ab *Eucalypto saligna* Smithii.

Observationes nostrae perfecte congruunt cum illustrissimi viri Bertolonii (amoen. Ital. p. 28), ceu ipse humaniter quoque in litteris communicavit, qui primus hanc stirpem retulit sub nomine *Leptospermi resiniferi*.

At nomen specificum mutatum inde fuit a Sprengelio (Nov. prov. p. 25), qui eandem plantam appellavit *Leptospermum flexuosum* tamquam synonymon *Metrosideros flexuosa* W. (en. p. 514).

Revera W. flores non viderat, etsi arbores jam decempedales in H. Berolinensi extarent, unde dubitaverat num ad *Metrosideros*, an ad *Melaleucas*, vel ad *Eucalyptos* pertinerent, uti ipse fatetur in observationibus: attamen ejus descriptio convenit in caeteris cum nostra planta.

Sprengelium secutus est praeclarus Link in *enumer. alt.* (tom. II p. 26 n. 173), male ne confusio augeatur tutius credidi ultimum nomen retinere, nisi honor Bertolonii tribuendus, qui priorem dubitationem sustulit, ac rite determinavit ad quod genus elegantissima haec stirps foret referenda.

Nonnullas tamen observationes circa fructificationem addendas opportunum duxi, nec non iconem hucusque ineditam, ut sciam, praebere, in praecedentium Auctorum illustrationum complementum.

Fructificationis descriptio.

Capitula axillaria sessilia conferta 5-12 flores sessiles gerentia. *Calyx* semisuperus, basi squamulosus, persistens, primum tamen tomentellus, inde laevis et minutissime punctatus, 5-dentatus, viridis, dentibus acuminatis margine albidis (Tab. II. fig. 2). *Petala* 5 calyci inserta, unguiculata, dentes calycinos alternatim illosque triplo longiora, alba (fig. 1). *Stamina* 25 perygina seu apice calycis inserta in quinque phalanges petalis alternantes disposita, *filamenta* tamen libera dentibus calycinis parum longiora, alba. *Antherae* subrotundae (fig. 1). *Germen* turbinatum, depressiusculum, calyce semivestitum. *Stylus* filiformis, persistens, staminibus duplo longior. *Stigma* capitatum (fig. 3). *Capsula* 3-angulata, 3-locularis (1), villis lente tantum conspicuis adspersa, loculis polyspermis. *Semina* angulosa tenuia nigra (fig. 4 5 6 7).

---

(1) *Leptospermo* tribuunt Botanici capsulam 4 vel 5-locularem. Planta mea sub dio culta diametrum 5-pollicarem et ultra jam adeo[illegible] ut ita abitudine crescit ut illam magis raro repione putare conatur ob ... ad hibernaculum aestate debentam hieme contegi possit; hanc abunde anno elapso perfectissimos genit fructus; at duo quae attento examini subjeci nec mihi contigit unum tantum 4 vel 5-locularem invenire, sed constanter 3-loculares semper observavi quod libro addendum in planta sequenti.

* L. foliis alternis sessilibus ovato-oblongis acuminatis, ramis ancipitibus pubescentibus, capitulis axillaribus sessilibus confertis, capsulis 3-locularibus *Nob.*

II.

Hakea rubricaulis

Hakea rubricaulis, quam enumeravi in *H. Rip.* (p. 63), ac in not. 2 descripsi absque fructificatione, floruit julio proxime elapso, fructusque perfecit novembri, hinc novas observationes circa fructificationis organa, nec non iconem Botanicis offero.

Fructificationis descriptio

Corymbi axillares simplices 8-10 flori basi squamulis deciduis instructi. *Pedunculus* communis linearis, subtetragonus, teres, pubescens, pollicaris. *Pedicelli* lineares, capillares canaliculati, apice incrassati ibique glandulam germinis continentes, laeves, virides, pedunculo duplo breviores. *Calyx* nullus. *Corolla* (*Calyx* aliorum) 4 petala. *Petala* apice pedicelli inserta glandulamque germinis basi cingentia, alba, linearia, extus laevia, intus linea longitudinali prominula a basi ad apicem instructa, apice concava ibique antherifera, pedicello duplo breviora, primum erecta apice conniventia et germen stricte cingentia, inde post anthesim apice tum contorta, demum decidua (Tab. III fig. 1 2), *Antherae* 4 foveis petalorum adnatae, 2-loculares (fig. 3), *Pistillum* pedicellatum (fig. 4), *Pedicellus* linearis, teres, laevis, inflexus, petalis paullo brevior, basi e latere interiore desinens in glandulam lenticularem apice pedicellorum floris insertam superius concavam pellucido-flavescentem (fig. 4 *b*), insuper pedicellus pistilli apice articulatus, glandulis binis vascularibus instructus, pistillum sustinens (fig. 4 *dd*), *Germen* oblongum, arcuatum, inflexum (fig. 4 e), *Stylus* filiformis longitudine germinis persistens, *Stigma* orbiculatum subturbinatum (fig. 4 *f*), *Capsula* lignosa oblonga 1-locularis, 2 valvis, disperma (fig. 5), *Semina* alata (fig. 6).

Observatio

Provide natura pedicellum germinis articulo instruxit, quum enim pistillum longius sit, quam petala antherifera, pollen ab antheris emangere non posset nisi inflecteretur ope articuli Iure per organa quae in hoc genere a nonnullis Botanicis tamquam *petala*, ab aliis seu *sepala* considerantur, non ne potius vera *filamenta petaloidea*? Revera organa illa, quae inferne omnino laevia adparent, superne lentis ope lineis longitudinali aliquantum prominula a basi ad apicem instructa secernuntur, quae probabiliter succum transmittit ad antheras ubi pollen elaboratur. Tunc characteres essentiales generici emendandi essent ut sequitur

Char. essent. gener.

» *Flores* corymbosi. *Cal.* communis polyphyllus squamis deciduis
» *Cal.* proprius o. *Cor.* o. *Filam.* petaloidea apice anthérifera
» *Germ.* pedicellatum. *Pedic.* basi squamulosus apice articulatus
» 2-glandulosus. *Styl.* filiformis. *Stig.* orbiculatum sub turbinatum
» *Caps.* 1-locularis 2-valvis 2-sperma. *Sem.* alata. » *Nob.*

III

MELALEUCA DENSA

Floruit pulcherrima haec stirps junio julio 1824. Phrasis quam praebui in *H. Rip.* (p. 87 not. 1) incongrua respectu florum, in qua parte eam deprompseram a R. Brown in Ait. (H. Kew. ed. nov. IV. 411), tunc enim nondum floruerat. Refert autem inflorescentiam ab aliis congeneribus tam dissimilem, ut ad genus distinctum primo intuitu illam pertinere judicares. Hinc necessitas majorem illustrationem, et iconem edendi.

Fructificationis descriptio

Flores axillares, solitarii, raro 2-3 in eadem axilla, numquam spicati ut in caeteris speciebus hucusque cognitis, quandoque sessiles (Tab. IV fig. 1), interdum brevissime pedunculati (fig. 2). *Calyx* 5-fidus semisuperus, turbinatus (fig. 3 4 5); *Laciniae calycinae* viridiusculae punctatae, ovatae, apice mucronulo fusco instructae, 2 lin. longae, 1 latae (fig. 6). *Petala* 5 subcucullata, concava, vix unguiculata, ~~basi albida,~~ apice violacea (fig. 7), phalanges staminum basi tegentia eisque triplo breviora. *Phalanges* compressae (fere ut in *Beaufortia*, *Billottia*, et *Calothamnis*), a basi ad apicem gradatim ramoso-polyandrae, persistentes 6 lin. longae, 2 latae, inflexae, violaceae, unguibus subnullis (fig. 8 9). *Filamenta* filiformia inaequalia. *Antherae* flavescentes (fig. 8 9 10). *Germen* inferum, semivestitum, turbinatum. *Stylus* filiformis, brevissimus. *Stigma* simplex (fig. 11). *Capsula* semivestita, 4-locularis (fig. 12 13). *Semina* numerosissima linearia (fig. 14).

Hinc definitionem ita emendandam propono:

» *M.* foliis sparsis ternisve obovatis 1-3-nervis recurvis
» utrinque glabris, floribus solitariis raro binis ternisve, phalangi-
» bus compressis ramoso-polyandris (flores violacei). *Nob.*

IV

Nemophila Nuttallii

Enata e seminibus humaniter missis sub nomine *Nemophilae nemorosae* a Cl. Socio meo Reuben-Haines Acad. Scient. Philadelphiae Secretario perpetuo satis in olla aprili 1824 florent julio, et fructus perficit septembri. Rarissima haec planta detecta ab eximio Professore Thom. Nuttallio anno 1823 in nemorosis territorii Arkansae

Americae septentrionalis prope propugnaculum *Smithii*, nec non prope scaturiginem *Pottae*, ac ab eodem Anglico descripta sub nomine *N. Phacelioides* (Journal of the Acad. of natural Sciences of Philad. vol. 2 p. 179) majorem meretur illustrationem tum ob singularem fructificationis organorum structuram, de quibus pauca vel minus exacte dicta a Cl. Auctore, cum propter absolutam stirpis novitatem in hortis Europaeis. En ergo quae summa diligentia observavi.

Descriptio.

Radix annua (raro biennalis sec. *Nutt.*), fibrosa. *Caulis* herbaceus, erectus, spithameus, simplex, interdum versus apicem 2-3 ramulis indutus, tetragonus, laevis, inferne violaceus superne viridis. *Folia* radicalia fasciculata, caulina sparsa, petiolata, erecta, impari-pinnata. *Petiolus* villosus, superne canaliculatus, longitudine pollicis et ultra a basi ad foliolum extimum. *Foliola* sessilia, opposita, ciliata, apice mucronulo molli instructa, infima integra oblique elliptica, media modo integra modo 2-3 loba lobis inaequalibus, extimum abrupte pinnatifidum. *Flores* axillares vel terminales, pedunculati, nudati. *Pedunculi* uniflori, teretes, villosiusculi, virides, apice violacei, longitudine foliorum. *Calyx* 10-partitus, persistens, laciniis inaequalibus lanceolatis margine ciliatis, ex quibus quinque uninerviae 2 lin. longae, reflexae (Tab. IV. fig. 1), caeterae primas alternantes multinerviae duplo majores inflexae (fig. 2), ex quo prima facie calycem duplicem existimares. *Corolla* monopetala campanulata hypogyna seu basi germinis inserta, 5-partita. *Tubus* brevis, albidus, interne nectariferus (fig. 4), extus ad apicem 15 maculis sagittatis obscure-caeruleis notatus, ex quibus 10 pares basim laciniarum adornant, quinque triplo minores eas alternant (fig. 3). *Nectaria* quinque tubulosa, lutea, filamentorum basim cingentia (fig. 4. 5), *Laciniae* ovatae, patentissimae, latitudine magna, apice emarginatae, laete caeruleae. *Filamenta* 5 intra nectaria tubo inserta,

a.

erecta, alba, corollae duplo breviora cumque laciniis alternantia. *Antherae* 2-loculares, oblongae, versatiles, atro-violaceae (fig 4 5), *Germen* superum, ovatum, basi glandulosum, tomentoso-sericeum (fig 6), *Stylus* filiformis longitudine staminum persistens *Stigma* bifidum (fig 6 7), *Capsula* ovata, monococca, saepius monosperma (abortu?), raro disperma, elastice dehiscens (fig 7 8 10), *Semina* subcochleata, brunnea, *Perispermum* subosseum (fig 9 11)

Definitio.

Char essent gener

« *Cal* 10-partitus persistens, laciniis inaequalibus quinque » uninerviis reflexis caeteris multinerviis inflexis duplo minoribus » *Cor* monopetala, campanulata, 5-partita, tubo externe macu- » lato intus nectarifero *Filamenta* intra nectaria *Germen* superum » basi glandulosum. *Capsula* monococca 1-2 sperma. »

Char essent specif

« *N* caule herbaceo, foliis radicalibus fasciculatis, caulinis » sparsis petiolatis pinnatis, foliolis sessilibus mucronulatis inferio- » ribus integris superioribus 2-3 lobis externe abrupte pinnatifido, » pedunculis unifloris » *Nob*

Observatio

Pertinet ad *Pentandriam monogyniam* ac ludit inter *Solanaceas* primae sectionis (fructibus capsularibus), et *Borragineas* secundae sectionis (fructibus 1-2 capsularibus). Habitu magis ad primas accedit, tum planta lurida potius quam asperifolia Facie autem valde affinis *Ellisiae Nyctaleae* (W sp I 815 Lam ill t 97), » qua differt praecipue *calyce* 10 non 5 partito, *corolla* calyce

majore non *minore*, *capsula* saepius *monosperma*, et quando 2 sperma semina *lateralia* nec *alterum supra alterum*, quod, juxta W observationem, characterem in *Ellisia* prorsus singularem constituit. Recte igitur NUTTALLIUS novum genus effecit, et quamvis parum consonum videatur nomen *Nemophilae* a νέμος, *nemus*, et φίλεω, *amo*, quum innumera vegetabilia aeque nemora colant, attamen immutandum non censui, aliter de nomine specifico, nam adjectivum *nemorosa* sub quo semina accepi ostendit stationem in nomine generico jam indicatam, alterum *Phacelioides* sub quo refertur a *Nuttallio* minus aptum, Auctor enim ipse fatetur magis *Hydrophyllo* quam *Phaceliae* esse affinem, nos autem credimus potius ad *Ellisiam* accedere. Hinc melius judicavi plantam hanc celeberrimo Inventori dicare.

V

Centaurea Americana

Missa et sata cum praecedente floruit augusto-septembri, fructusque tulit novembri. Primo culta in H. Philadelphiae a memorato Professore (qui eam invenerat ipsoque in territorio Arkansae, sed locis humidis), ibi floruit majo-junio 1821, et optimam novam speciem constituit ad subgenus *Phrygium* pertinentem. Descriptioni quam Auctor breviter exaravit (l. c. p. 117), nonnullae illustrationes desiderantur, quas una cum icone nondum vulgata praebere duxi.

Descriptio.

Radix annua fibrosa. *Caulis* herbaceus, 1-2-pedalis, erectus, teres, striatus, inferne glaberrimus superne scabriusculus, subramosus. *Rami* pauci versus apicem, erecti, coarctati. *Folia* alterna, patentia, sessilia, inferiora oblongo-ovata inaequaliter denticulata 1 poll. longa, superiora breviora lanceolata acuta integerrima apice

mucronulo molli terminata, omnia utrinque viridia, scabriuscula, uninervia, venosa. *Flores* terminales. *Pedunculus* teres, apice incrassatus, sulcato angulatus, scabriusculus, uniflorus. *Calyx* ovato globosus, subrotutus, sesqui-uncicularis. *Squamae calycinae exteriores* ovatae 2 lin. longae, basi et disco subsericeae, virides, margine cartilagineae, apice appendiculatae, appendicibus squamas aequantibus argenteo-paleaceis setoso-ciliatis seu pennatis pinnis recurvatis (Tab. VI fig. 1 2), *Squamae mediae* longiores, sublineares, appendicibus squamis brevioribus violaceo paleaceis (fig. 3), *Squamae interiores* lineares vix appendiculatae (fig. 4), *Flores* omnes flosculosi. *Corollulae* radii numerosae, infundibuliformes, exteriores neutrae (fig. 5), interiores hermaphroditae (fig. 6), *Tubus* filiformis unguicularis albidus (fig. 5 6), *Limbus* 5-partitus laciniis linearibus violaceo-purpurascentibus tubum fere aequantibus, patulis (fig. 5 a), *Corollulae* disci hermaphroditae erectae radiis duplo breviores (fig. 7), in hermaphroditis *genitalia* corollularum laciniis superantia (fig. 6 7), *Stamina* 5, *Filamenta* filiformia albida, *Antherae* in cylindrum coalitae, atro-caeruleae *Stylus* 1 paullo exsertus, *Stigma* simplex. *Semen* laeve, oblongum, pappo brevi setoso coronatum (fig. 9), *Receptaculum* setosum (fig. 8)

Definitio

» *C.* caule herbaceo striato apice subramoso, foliis alternis sessilibus inferioribus oblongo-ovatis inaequaliter denticulatis superioribus lanceolatis integerrimis, Squamis calycinis subscariosis margine cartilagineis apice appendiculato-pennatis, radiis exterioribus neutris, interioribus flosculisque disci hermaphroditis, stigmate simplici » *Nob.*

VI.

EUPHORBIA VARIEGATA

Cl. *Reuben Haines* qui semina hujusce stirpis cum duabus praecedentibus misit pro certo affirmavit in litteris a praelaudato NUTTALLIO detectam etiam fuisse in territorio *Arkansae*, nec adhuc descriptam. Equidem video plantam sub hoc nomine enumeratam a *Steudelio* (nom. bot. p. 328), et *Swectio* qui citat *Sims* (Bot. mag. 1747), addens esse novam speciem annuam ex Louvisiana provenientem anno 1811. Hinc haereo an eadem sit ac nostra, quod asseverare non audeo ob deffectum in nostris Bibliothecis sumptuosissimi Simsiani operis. Quidquid sit, quum illam tamquam novissimam stirpem acceperim, Botanicorum censuram incurrere haud credo, si descriptionem, et iconem earum judicio submitto.

Descriptio.

Radix annua fibrosa. *Caulis* herbaceus, simplex, erectus, teres, villosiusculus, 1-2-pedalis, crassitie pennae anserinae, inferne rubescens, superne viridis. *Folia* alterna, patentia, sub-plicata, sessilia, ovalia, acutiuscula, integerrima, glaucescentia, costa subtus et basi marginis villosiuscula, reliquis partibus nuda, 1 poll. longa, ½ lata. *Umbella* plerumque triradiata, trichotoma, quandoque simpliciter trichotoma. *Involucrum* universale triphyllum, foliolis foliis paullo majoribus. *Radii* palmares, diametro caule triplo minore, versus apicem 3-4 foliis instructi. Folia haec tamquam involucellum considerari nequeunt, non enim *opposita* umbellulas cingentia, sed *alterna*: sunt autem caulinis duplo minora, margine alba, disco viridia. *Involucella* 2-3-phylla, 2-3-flora, foliolis lanceolatis vix unguicularibus, albis, linea tantum viridi in disco notatis. Flores polygami, seu flos solitarius in bifurcatione radiorum

(si adsunt) plerumque masculus, in involucellis tres aut quatuor hermaphroditi, interdum unus masculus deple minor. *In floribus masculis* vix pedicellatis *calyx* 1-phyllus, ventricosus, 5 dentatus, villosus, persistens (Fab. VII. fig. 1). *Petala* 5 calyci insidentia, eique paullo minora, suborbiculata, integra, concava, alba, basi glandula cymbiformi pellucida flavescente instructa, persistentia, (fig. 2) *Filamenta* hypogyna petala aequantia (fig. 3 a), basi barbata (fig. 3 b). *Antherae* lineares biloculares (fig. 3 a b). *In floribus hermaphroditis* sessilibus *calyx* et *petala* ut in masculis. *Germen* longe pedicellatum, *Styli* tres brevissimi, 2 fidi, persistentes, *Stigmata* simplicia (fig. 4). *Capsula* 3-cocca villosa coccis monospermis elastice dehiscentibus (fig. 5 6), *Semina* orbiculata grisea fere magnitudine pisi sativi (fig. 7)

Definitio.

» E. umbella triradiata trichotoma, radiis foliosis, involucellis
» lanceolatis variegatis, foliis alternis sessilibus subplicatis ovatis
» mucronulatis integerrimis, petalis glandulosis, capsulis villosis,
» caule herbaceo » *Nob*

Observatio

Planta haec videtur valde affinis *E. marginatae* Pursh (Flor. amer. II p. 606) quae habitat in America boreali, et involucella in nostra planta non sunt *margine membranacea*, folia quidem *sessilia* sed non *subcordata amplexicaulia*, glandulas non memorat *Pursch* in appendicibus calycinis petaloideis (*petala nob.*) quod optimum characterem constituit, quem Auctor non omisisset si extitisset in sua stirpe. Caeterum laudo scientiae nostrae amatores ut hanc speciem cum duabus praecedentibus abunde colant utpote optissime ad areolas exornandas.

VII.

EUGENIA AUSTRALIS

Enumeravi in *Hort. Rip.* hanc venustissimam speciem, quam acceperam tam sub citato nomine, quam sub nomine *Tristaniae corymbosae* sed tunc nondum illam florentem videram, quapropter tamquam dubiae stirpis characterem specificos tantummodo retuli (*Hort Rip* p. 54 not. 1) Luxuriosam fructificationem obtinui julio augusto fructusque maturos septembri-octobri proxime elapsis, et vidi reapse ad *Eugeniae* genus pertinere, eamque sub nomine *E australis* a Cl Wendlando imposito retinendam duxi, indiget attamen majori illustratione ac icone quas praebeo.

Descriptio.

Radix lignosa, ramoso-fibrosa *Caulis* in frigidario 12 pedalis et ultra, arboreus, solidus, laevis, teres, ramosissimus *Rami* oppositi, interdum sparsi, divaricati, teretes, apicem versus compressiusculi ubique rubescentes *Folia* opposita, patentia, petiolata, elliptica, acuta, integerrima utrinque glabra, superne nitida, venosa, subcoriacea, sempervirentia, 1 poll longa, ½ lata *Petioli* brevissimi, canaliculati, glabri, juniores rubescentes. *Flores* paniculati *Paniculae* terminales, erectae, compositae (Tab VIII fig 1), rarissime axillares et tunc simplices (fig 2). *Pedunculus communis* et *partialis* petiolo longiores, insuper pedunculus partialis saepius 3 raro 1-2-florus. *Pedicelli* subnulli *Calyx* superus, urceolatus, 4 partitus, persistens, laciniis subrotundis concavis integerrimis persistentibus viridibus in alabastris subelliptis margine rubescentibus post anthesin, 2 lin latis (fig 6 7). *Petala* 4 calyci inserta, laciniis calycinis alternantia eisque paullo majora, subrotunda, concava, alba, decidua (fig. 3 4). *Stamina*

plura perigyna petalis longiora, *filamentis* albidis, *antheris* ovatis sulcatis flavescentibus (fig. 4 5). *Germen* inferum, turbinatum, 2-3 loculare (fig. 8), loculi 1 2 obliterantur, ovulaque abortiunt, dum loculus alter ob ovuli maturitatem unicus remanet (fig. 9), quod in errorem induxit Botanicos considerantes germen tanquam 1 loculare (an idem in caeteris stirpibus hujus generis? consule optimas observationes eximii Kunth in *Mém. de la Soc. d'hist. natur. tom.* 1 *part.* 2 *p.* 322, ubi loquitur, et similium abortiuum causa proponit plurium generum ad Myrtaceas pertinentium conjunctionem). *Stylus* filiformis, erectiusculus, persistens, stamina parum superans (fig. 6 *a*). *Stigma* simplex. *Fructus* drupaceus, 1 locularis 1-spermus ob abortum ovulorum, atro purpureus (fig. 10 11). *Semen* orbiculare, subosseum, nigricans (fig. 12).

Definitio.

» E. foliis ellipticis acutis integerrimis uninerviis, floribus tetra-
» petalis, paniculis compositis terminalibus, pedunculis petiolo
» longioribus ». *Nob.*

Observatio.

Affinis *E. Mini* (Aubl. Guj. I. 498 t. 197), et *E. ellipticae* (W. sp. II. 966), differt autem a primo foliis tantum *acutis* nec *acuminatis*, insuper in illa singuli flores *pedicellati*, et *binis bracteis* suffulti, in nostra pedicelli *subnulli ebracteati*. Differt etiam ab altera, cujus figura desideratur, foliis non *acuminatis*, laciniisque calycinis *integerrimis* nec *margine repandis*. *E. elliptica*, de qua loquimur, descripta primum a Cl. Smithio (Act. Soc. Linn. III. p. 281) non confundenda cum *E. elliptica* Lam. (Dict. III. 197 n. 39) pertinente ad sectionem quae comprehendit stirpes *pedunculis simplicibus unifloris*, unde optimum Poiretti consilium hanc *E. Smithii* appellasse ad vitandam cum illa confusionem.

ICONUM EXPLICATIO

TAB. II *Leptospermum flexuosum.*

Fig. 1 Flos adauctus antice visus et petalis orbatus ut appareant phalanges staminum et harum insertio. Fig. 2 Calyx adauctus postice visus. Fig. 3 Pistillum. Fig. 4 Capsula adaucta. Fig. 5 Eadem longitudinaliter secta. Fig. 6 Eadem transversim secta. Fig. 7 Semina.

TAB. III. *Hakea rubricaulis.*

Fig. 1 Unum ex quatuor petalis adauctum inferne antice visum ut appareat linea longitudinalis prominula qua est instructum. Fig. 2 Idem superne antice visum ut appareat continuatio ejusdem lineae nec non fovea, cui adnatae sunt antherae. Fig. 3 Fovea magis adaucta. Fig. 4 Pedicellus floris cum pistillo pedicellato adauctus *a* pedicellus floris *b* glandula lenticularis ejus apice inserta *c* pedicellus pistilli *dd* glandulae vasculares quibus apice est instructus, ac ibi articulatus *e* germen arcuatum cum stylo *f* stigma polline praegnans. Fig. 5 Capsula magnitudine naturali. Fig. 6 Semina alata ex duobus lateribus visa.

TAB. IV. *Melaleuca densa.*

Fig. 1 Flos sessilis. Fig. 2 Flos brevissime pedunculatus. Fig. 3 Flos postice visus. Fig. 4 Calyx antice visus. Fig. 5 Idem sectus. Fig. 6 Una ex laciniis calycinis adaucta. Fig. 7 Petalum adauctum. Fig. 8 Una ex phalangibus antice visa. Fig. 9 Eadem postice visa. Fig. 10 Stamen adauctum. Fig. 11 Pistillum adauctum. Fig. 12 Capsula. Fig. 13 Eadem secta. Fig. 14 Semina.

TAB. V. *Nemophila Nuttallii.*

Fig. 1 Una ex quinque laciniis calycinis reflexis adaucta. Fig. 2 Una ex quinque laciniis calycinis inflexis adaucta. Fig. 3 Corolla magnitudine naturali postice visa, ut appareant 15 maculae inaequales. Fig. 4 Eadem antice visa et secta ut appareant nectaria et staminum insertio. Fig. 5 Unum ex quinque nectariis cum stamine duplo auctum. Fig. 6 Pistillum. Fig. 7 Capsula submatura cum stylo persistente. Fig. 8 Eadem pressione dehiscens. Fig. 9 Semen sub-

maturum. Fig. 10 Capsula perfecte matura naturaliter dehiscens. Fig. 11 Semen perfecte maturum.

TAB. VI. *Centaurea americana.*

Fig. 1 Una ex squamis calycinis exterioribus viridibus. Fig. 2 Eadem sicca. Fig. 3 Una ex squamis calycinis mediis siccis. Fig. 4 Una ex squamis calycinis interioribus siccis. Fig. 5 Una ex corollulis radii exterioribus neutris. Fig. 6 Una ex corollulis radii interioribus hermaphroditis. Fig. 7 Una ex corollulis disci. Fig. 8 Receptaculum setosum. Fig. 9 Semen pappo setoso coronatum.

TAB. VII. *Euphorbia variegata.*

Fig. 1 Calyx parum adauctus. Fig. 2 Unum ex petalis basi glandula cymbiformi instructus. Fig. 3 Flos petalis et pistillo orbatus, ut appareant stamina hypogyna, seu receptaculo inserta. Fig. 4 Germen pedicellatum. Fig. 5 Capsula clausa adaucta. Fig. 6 Eadem elastice dehiscens. Fig. 7 Semina magnitudine naturali.

TAB. VIII. *Eugenia australis.*

Fig. 1 Panicula terminales compositae. Fig. 2 Panicula axillaris simplex. Fig. 3 Flos integer postice visus. Fig. 4 Idem antice visus. Fig. 5 Stamen multoties adauctum. Fig. 6 Calyx cum pistillo a antice visum post petalorum et staminum casum. Fig. 7 Idem postice visus. Fig. 8 Germen adauctum transversum sectum ut appareant duo loculi, quorum alter inde obstruitur. Fig. 9 Idem post 10-15 dies longitudinaliter sectus ut appareat unus ex loculis fere obstructus. Fig. 10 Fructus drupaceus magnitudine naturali. Fig. 11 Idem antice visus. Fig. 12 Semen.

SECTIO ALTERA

HORTO RIPULENSI

APPENDIX PRIMA.

A

Nom. et rec. synon.	Auct. et icones	Statio		Durat. et fructif.
3 Acacia				
Polyg. dioec. Legum.				
27 longifolia	*W. sp.* IV. 1052 = *Vent. malm.* t. 6	N. Wallesia	F.	suf. 1. vir. Feb. Apr.
28 portoricensis	ib. 1069 = *Jacq. ic.* t. 633	Portoric. S. Doming.	C.	suf. 1. vir. nond. flor.
29 pterocarpa	*Pers.* II. 263 = *Pluk. mant.* t. 329 f. 3	India	C.	suf. 1. vir. nond. flor.
30 tetragona	*W.* ib. 1069 = ?	Caracas	C.	frut. vir. Oct. Dec.
789 Adansonia				
Monad. polyand. Bombaceae				
1 digitata (1)	*W. sp.* III. 730 = *Lam. ill.* t. 588	Senegal, Aegypto	C.	Arb. nond. flor.
771 Adenandra				
Pent. monog. Rut.				
1 umbellata	*W. en.* I. 257 = *Sims Bot. mag.* 1271	C. B. S.	F.	suf. 2. vir. Jun. Jul.
sub *Diosmate*	*Hortul.*			
Diosma speciosa	*Sims* l. c. et *DC. Pr.* I. 713 var. γ			
Diosma cuspidata	*Lam.* Dict. II. 286			
Diosma uniflora	*Bank.* Herb. 1 x. II. Kew.			
sub *Glandulifolia*	*Wendl.* coll. plant. I. p. 37 t. 10			
Olim specimen	*Diar.* soc. Senal			

(1) Notato dignum hanc rarissimam stirpem quae loco natali fert caudicem diametro quandoque 25-pedali, ac folia palmatim composita, ex seminibus ortam in calidario folia gerere simplicia usque dum altitudinem 2 pedalem circiter adquisierit; tunc aliqua adparent folia 2-juga; hinc alia 3-4-juga; demum nascuntur digitata, seu melius juxta DC. palmatim composita. Folia juniora eandem referunt structuram ac foliola in foliis compositis, quae sunt uninervia; hinc numquam dubitavi folia demum esse de composita, uti in caeteris plantis quae folia simplicia, inde composita proferunt, uti in *Palmis*, in plerisque *Pothos* praesertim in *Pothos digitata* etc. constanter observavi folia primaria uninervia, hinc composita totidem foliolis [illegible] semper, quot antehac nervi in iisdem foliorum amplexione concurrentes, adeo ut ipsi tamquam elementa [illegible] [illegible] vel potius [illegible] decompositione considerari debeant; nil autem in organo divergere potui, quod [illegible] reddat rationem [illegible] discrepantiae; perspicacioribus Physiologis hoc problema evolvendum relinquo.

Nom. et rec. synon.	Auct. et icon.	Solum		Durat. et fructif.
771 Alternanthera				
Pent. monog. Amar.				
1 spinosa	R. et S. V. 555 = ?	in Calid. Harm. Ber.	C.	suf. 1. Aug.-Sept.
A. axillaris	DC. H. monsp. p. 77			
Achyrantes axillaris	W. en. 271 ex Horn.			
36 Amaranthus				
Monoec. pent. Amar.				
5 monstruosus ? (1)	? = ?	?	D.	an. Jul.-Aug.
A. rigidus ?	Schult. sec. Balb. in litt.			
772 Amethystea				
